





DISSERTATIO IVRIDICA
INAUGVRALIS

8
1625

DE

1752 11

ORIGINIBVS
LEGITIMAE

AD IMITATIONEM LEG.
FALCIDIAE INTERPRETATIONE
PRVDENTVM INTRODVCTAE;

QVAM

SACROSANCTA ET IMMORTALI TRIADE
PRAESIDE,

AVCTORITATE AC DECRETO

MAGNIFICI

CELEBERRIMI AC AMPLISSIMI
ICTORVM ORDINIS,

IN INCLYTA QVAE TEVTOBVRGI CLIVORVM FLORET
ACADEMIA REGIA,


PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS, PRIVILEGIIS,
AC IMMVNITATIBVS CONSEQVENDIS,

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVMITTIT

FRIDERICVS GOTHOFREDVS I. A. F.

SCHLEGTENDAL LINGENSIS.

AD DIEM V. IVLII MDCCLII. HORA LOCOQVE SOLITIS.



TEVTOBVRGI

TYPIS IOH. SEBAST. STRAVBII, ACAD. TYPOGR.



ILLVSTRISSIMO ATQVE GENEROSISSIMO

DOMINO

D^{NO.} SAMVELI

LIBERO BARONI

DE COCCII

REGIAE MAIESTATIS BORVSSICAE

MAGNO CANCELLARIO;

MINISTRO STATUS AC BELLI INTIMO,

ORDINIS REGII AQVILAE NIGRAE EQVITI,

RELIQVA.

ILLVSTRISSIMO ATQVE GENEROSISSIMO

DOMINO

D^{NO.} LEVINO FRIDERICO

LIBERO BARONI

DE BISMARCK

REGIAE MAIESTATIS BORVSSICAE

MINISTRO STATUS AC BELLI INTIMO;

TERTII SENATVS IVDICII CAMERALIS

PRAESIDI,

RELIQVA.

ILLVSTRISSIMO ATQVE GENEROSISSIMO
DOMINO

D^{NO}. CAROLO LVDOLPHO

LIBERO BARONI

DE DANCKELMANN

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS
MINISTRO STATVS AC BELLI INTIMO;

CONSISTORII PRAESIDI,
SVPREMO ACADEMIARVM REGIARVM CVRATORI,

RELIQVA

DOMINIS SVIS BENIGNISSIMIS
GRATIOSISSIMIS

HANC DISSERTATIONEM INTIMA CVM ANIMI
REVERENTIA INSCRIBIT,

ET SE SVAQVE STVDIA SVBMISSSE

COMMENDAT

FRID. GOTHOF. SCHLEGTENDAL

AVCTOR.

S. 1



§. I.

De origine Legitimae scripturis constare prius debet, quid sit Legitima. Vocatur autem in *L. VIII. §. 6. D. de inoff. test. quarta pars eius, quod ad filium esset peruenturum, si intestatus decessisset paterfamilias*; cui conuenit *L. II. C. de inoff. donat.* Secundum hos itaque textus, collatis aliis, Legitima erit pars hereditatis certa, testamento relinquenda nonnullis personis officio pietatis in iure confirmato, determinanda ex eo, quod ad personam hanc ab intestato ex hereditate peruenisset. Diximus eam esse *partem hereditatis certam*. Quantitas enim eius determinata est, vid. *L. VIII. §. 6. D. de inoff. test. et Nouell. XVIII. cap. 1.* Non tamen accipi eam nisi deducto aere alieno facile apparet ex *§. 9. d. L. VIII.* Affirmauimus praeterea, eandem *testamento relinquendam esse nonnullis personis officio pietatis, secundum L. VIII. §. 8. D. de inoff. test. L. XXX. C. eod. Nouell. CXV. cap. 3.*

A

Nec

Nec obstat, quod Iustinianus *d. L. XXX.* constituerit, Legitima non tota relicta testamentum non statim inofficium fieri. Iustinianus enim potius animum testatoris quam sermonem spectavit; nam ideo *d. L. XXX.* Legitimae quod deest, id suppleri voluit, et *Novell. CXV. cap. 3.* constituit, liberos heredes instituendos esse. Animus vero hic ex relictis satis perspiciebatur, atque simul efficiebat, ut testator liberis bona sua denegasse non videatur, etsi forte relicta legitimam portionem non exaequent. Testamenti autem vocem hic latiori sensu sumi, atque donationes aliquando comprehendere ex §. 12. quisque videbit. Adiunximus *in iure confirmato.* Quia, etsi alioquin omnis *propinquitas pietate colenda sit* teste Cicer. *pro Quinct. cap. VI.* attamen hoc pietatis officium remotioribus cognatis ultra fratres non debetur *L. I. D. §. 2. I. de inoff. test.* Contendimus denique eam *determinandam esse ex eo, quod ad hanc personam ab intestato ex ea hereditate pervenisset. d. L. VIII. §. 6. D. de inoff. test. L. II. C. eod.* Unde ea nec maiore heredum numero augetur, nec minore minuitur: ut sic eadem hereditatis pars duobus, eadem pluribus relinquenda sit, nisi lex specialis aliud statuerit. Attamen hinc colligendum non est, etiam iuste exheredatum in Legitima computanda partem facere; ut sic, vno filio iuste exheredato, alteri non ingrato dimidiam Legitimam relinqui sufficiat; altera dimidia, quae exheredato adimitur, lucro testatoris cedente. Etiam si enim patre intestato, utique iam exheredatus partem facturus fuisset: inde tamen nullo iure, quod ad Legitimam attinet, colligi aliquid potest. Exheredatio enim iusta utique sine effectu esse non pot-

poterat. At is erat, vt merito exheredatus heres non
 existeret *L. I. §. pen. D. de suis et legit.* adeoque eius ius
 abscissum fuerat *L. IX. §. 2. D. de lib. et post.* vt ratione
 hereditatis paternae pro mortuo habeatur secundum *L. I.*
§. 5. D. de coniung. cum emanc. lib. Ideoque filius insti-
 tutus totam hereditatem etiam ab intestato, altero mortuo,
 consequetur; vnde ei tota quoque Legitima debetur, mini-
 me vero sufficit dimidia. Atque haec confirmantur argu-
 mento eorum, qui praeteriti non possunt petere contra
 tabulas bonorum possessionem: hi enim nec partem faciunt
 secundum *L. X. §. 4. D. de bon. poss. contra tab. quo enim*
bonum est iis fauere, vt partem faciant, nihil habituris.
 Quae ratio etiam hic optimo iure locum sibi vindicabit:
 cum aequae Legitima ac bonorum possessio contra tabulas
 in fauorem liberorum introducta sit. Nec tunc obstabit
L. VIII. §. 8. D. de inoff. test. affirmans, *utique partem*
facere exheredatum, qui non queritur. Notandum enim,
 quod Ictus ibi tantum consulat iuribus illius exheredati,
 de quo, quia non queritur, haud constat, an iuste sit ex-
 clusus; atque forte simul alteri prospicit querenti, ne plus
 petens damno afficiatur. Minime vero loquitur de eo,
 quem parens iustis causis permotus ingratum declarauit.

§. II.

Sed haec in transitu. Scopus noster hoc loco erat,
 difficillimam eam et a clarissimis Interpretibus agitatam
 quaestionem de Legitimae originibus explicare: vbi tamen
 et nos eo facilius a vero aberrare poterimus, quod illu-

stres adeo viri in hac materia plerumque dissenserint. Quod ad rem ipsam attinet, plurimi Legitimae natales ad ipsum ius naturale referre non dubitauerunt. Quasi nempe liberis praesertim hereditas parentum eo iure omnino debeatur: quibus ad stipulari videntur textus illi, qui liberis hereditatem parentum a natura deberi asseruere; quomodo v. g. in *L. XV. pr. D. de inoff. test.* dicitur *liberis hereditatem parentum propter votum eorum et naturalem erga filios caritatem DEBERI. L. VII. §. I. D. si tab. test. null. exst.* asseritur, non sic parentibus liberorum ut liberis parentum deberi hereditatem: parentes enim ad bona liberorum rationem miserationis admittunt, liberos naturae simul et parentum commune votum. Et *L. VII. D. de bon. damnat.* affirmatur, rationem naturalem quasi legem quandam tacitam liberis parentum hereditates addixisse. Nihilominus tamen huic sententiae calculum nostrum adiacere, ob rationes haud contemnendas veremur. Quod enim attinet ad rationes ex ipso iure naturali petitas; haec minime id probant, quod debebant. Nec enim parentes liberis efficaciter ad aliud quam ad alimenta obligantur. Haec sola, quibus tamen caetera ad educationem pertinentia continentur, ideo liberis exhibere omnino debent: quia illis vitam, quantum in se fuit, dedere. Cicerone autem arbitro *de finib. lib. III. cap. 19.* haec inter se congruere non possunt, ut procreari quidem natura vellet, diligere autem procreata haud curaret. At ea necessitate quam primum pater suo officio functus liberosque eo deduxit, ut se ipsos exhibere possint, soluitur. Liberique a parentibus petere non possunt, ut ab iis heredes instituantur; quia vinculum inter eos arctissimum

num neutri ius in alterius bona tribuere poterat. Apparet etiam ex his nec liberos parentibus ad bona relinquenda obligari. Ου γὰρ ὀφείλει τὰ τέκνα τοῖς νοῦνοις διασπείζεν ἀλλ' οἱ νοῦνοι τοῖς τέκνοις. 2. ad Corinth. cap. XII. §. 14. ea enim mortalitatis ratio est, ut secundum Aufonium in Epitaph. Heroum. carm. XXXVII.

- - - veniat ordine quisque suo.

Nascendi qui lege datur. - - -

atque

Condatur, natu qui prior, ille prior.

Nec liberis aliter precari fas esse putavit Seneca *Consol. ad Marciam cap. I.* ideoque si forte aliis itineribus fata processerint, id turbato mortalitatis ordine fieri Papinianus in *L. XV. D. de inoff. test.* dixit, simul atque rationem huius successione in sola ratione pietatis vel miserationis, uti idem in *L. VII. D. si tab. test. nullae*, ponit. Mirumque eandem iudaeorum magistros hic praetexuisse teste Philone in *vita Moyf. Lib. III.* circa finem. Nec frater in fratris hereditatem plus iuris habebat. Nec enim hic illum generauerat; ideoque cum, ut existeret, causa non sit, utique illi, ut vitam ducere queat, prospicere non tenetur. Alia autem obligationis mutuae in hereditatibus causa non aderat. Nam Bynkershoek *Observat. Lib. II. cap. 1.* ius familiae, cui successione ab intestato originem superstruxit, non adeo certe probavit: ut in eius sententiam descendere tutum videatur. Vid. hic Cef. P. Wasmuht *Diff. de querel. inoff.* Quin et etiam si cum aliis statuere velis, inter liberos et parentes hic vinculum satis efficax adesse: nec

A 3

nec

nec tamen ideo magis Legitima iuris naturalis erit; quia ius illud omnia praesertim in quantitate consistentia iuri civili determinanda relinquit. Vid. hic Illustrissimus Magnus Cancellarius D. de COCCEII in *Jur. Controv.* et Stryk *de Success. ab Intest.* item Pufendorf *de Jur. Nat. et Gent. lib. IV. cap. 11.* Dein ea capita iuris nostri, in quibus Legitima debiti nomine venit, potius ad ius civile quam naturale respiciunt. Praeterea *L. XV. pr. D. de inoff. test.* comparat obligationem parentum cum obligatione liberorum, atque illam fortiorem esse contendit, etsi utraque satis efficax sit, ut iure civili inde querela nasci possit, quod etiam ait *L. VII. §. 1. D. si null. tab. testam.* quae tantum addit, naturale esse, si liberis parentibus succedant, contra si liberis parentes. Ut sic hi textus naturalem et communem succedendi ordinem commendantes non tam de aequitate naturali quam civili loquantur. *L. VII. D. de bon. damnat.* vero monstrat, aequius esse, liberos quam fiscum parentum bona consequi. Ut sic ex ipsis iuris naturalis principis Legitimam haud oriri satis appareat.

§. III.

Si itaque Legitimae fontes ex iure positio et quidem Romano repetendi sunt: primo loco sese nobis offert illorum sententia; qui illos ad legem vel Gliciam vel Falcidiam referunt. Et sane, ut ex Lege aliqua proprie sic dicta eos deriuemus, vel ipsum Legitimae nomen suadere videtur, quo praeter alios textus insignitur in *L. XXX. C. de inoff. test.* Notandum tamen Legis vocabulum varia

ria in iure nostro significare. Vel enim strictissime et proprie id accipimus secundum §. 7. *I. de I. N. G. et C.* Paulo latius sumtum comprehendit etiam plebiscita. Aliquando significat omne ius scriptum, atque opponitur consuetudini in *L. XXXII. D. de Legib.* Latissime denotat omne ius civile siue scriptum siue non scriptum, ut in §. 3. *I. de I. N. G. et C.* Praeterea Lex significare videtur ius naturale; quando Ciceroni de *Legib. Lib. I. cap. 6.* eadem est ratio summa insita a natura, quae iubet ea, quae facienda sunt, prohibetque contraria. Ne commemoremus, quod aliquando notet pactum, et alia quae non sunt huius loci. Ex solo ergo Legitimae vocabulo nihil colligi poterit. Praesertim cum conicere possimus, recentiores vocabulum Legitimae breuius usurpassè loco antiquioris et clarioris denominationis, quae reperitur in *L. VIII. §. 8. D. et §. 3. I. de inoff. test.* ubi notante Rittershusio *exposit. Nouell. part. VI. cap. 4. N. 6.* vocatur quarta debitae vel legitimae portionis. Hic enim legitimae portionis voce indicatur ea, quae liberis ab intestato debetur. Quod autem ad leges ipsas, ex quibus Legitimam oriri volunt, attingit: Bynkershoekio quidem *Observat. Lib. II. cap. 12.* facile concederes, Cuiacium ex incerta inscriptione *L. IV. D. de inoff. test.* nihil certi de Lege aliqua Glicia colligere potuisse. Ideoque alii, inter quos *Celeb. I. van de Water Observat. lib. I. cap. 11.* Legitimam a Lege Falcidia deriuare maluerunt. Atque huic sententiae plurima suffragari videntur. 1) Enim quantitas Legitimae respondit olim ei portioni, quam Lex Falcidia heredibus illibatam relinqui voluit; non solum quod utraque fuerit quarta hereditatis,

tatis, sed etiam quod utramque libertates minuant, et in eas fructus imputentur secundum *L. VIII. §. 8. 9. 11. D. de inoff. test.* 2) Legitima ipsa Falcidia nomine venit *L. XXXI. C. de inoff. test. Nouell. XCII. praef.* 3) Videntur haec adiuuari loco Plinii *lib. V. epist. 1.* Neque tamen haec omnia sunt eius momenti, ut ideo legitimam ex ipsis Legis Falcidia verbis descendere necesse sit. Quod enim ad primum attinet, ex eo nihil certi colligi potest, quia quarta hereditatis pars etiam Scto Pegafiano hereditibus fiduciariis concessa est, ut constitutionem D. Pii aliasque omittamus latius recensitas apud Rittershus. *Exposit. Nouell. part. VI. cap. 4. N. 4. §.* qui hic conferri potest. Nec 2) ex nomine Falcidia certius argumentum desumi potest, quia hoc etiam quartae ex Scto Pegafiano fere semper tribuitur V. G. in *L. XLI. §. 3. D. de vulg. et pupill. substit. L. II. ult. D. de iure codicill.* et aliis, uti post Vinnium in *Comm. ad §. 5. I. de fideic. hered. N. 2.* notavit Celeb. Voorda ad *L. Falcid. cap. 6. N. 4.* Neque Legitimam a Lege Falcidia repetit Plinius, cum *Epist. 1. lib. V.* ita ait, *si mater te ex parte quarta scripsisset heredem, num queri posses, quid si heredem quidem instituisset ex asse, sed legatis ita exhausisset, ut non amplius apud te quam quarta remaneret.* Totus enim hic sermo de iure non agit; sed eas solas rationes continet, quibus filio persuaderetur, ut accepta quarta contentus esset. Hoc ut persuaderet, ostendit, omnibus liberis satis relictum esse, si quartam ex testamentis parentum retineant, quibus autem remediis ea non relicta uti possint, nihil ad illum attinebat. Distinguit tamen etiam hic, ut videtur, Legitimam

mam a quarta L. Falcidiae : dum priori loco querelam
 expresse denegat ei, qui ex quarta parte legatis haud one-
 rata institutus esset ; posteriori vero, omiſſa querelae men-
 tione, ait, ex aſſe legatis delibato institutum contentum
 eſſe debere.

§. IV.

Postquam hoc modo argumenta ea refutare conati fui-
 mus; ulterius ostendamus haud verosimile esse, Lege Falci-
 dia aliquid de liberorum Legitima expressis verbis sancitum
 fuisse. Siue enim hoc eodem capite, quo heredibus insti-
 tutis quarta data, siue diuerso constitutum fuisset, veteres
 huius rei aliquam certe mentionem fecissent. Praesertim
 cum iidem in recensendis antiquarum Legum capitibus ad-
 eo fuerint solliciti : vt in Lege Aquilia non solum pri-
 mum a tertio capite accurate separauerint ; sed praeterea
 secundum caput obsoletum se nescire confessi fuerint. Id-
 eoque non praesumendum erat, eos hoc legis Falcidiae
 caput, quod minime ab vsu recesserat, obliuioni traditu-
 ros fuisse. Praeterea Lex Falcidia simul cum Legitima
 actionem ad illam petendam concedere debuisset. Cum ita-
 que ad Legitimam petendam non ordinaria legis Falcidiae
 remedia, sed querela inofficiosi detur, vid. L. VIII. §. 11.
 14. D. de inoff. test. et latius §. 9. 10. infra ; inde colligi
 poterit, quod querela inofficiosi saltem per hanc legem
 fieri debuisset remedium iuris ordinarium, si antea tale
 non fuit. Lex Falcidia autem lata est a. v. c. DCCXII.
 vel DCCXIII. republica Romana sub triumuiris constitu-
 ta. At querela inofficiosi adhuc sub Augusto rara et extra-

B

ordi-

ordinem concessa fuit testante Valer. Max. *lib. VII. cap. 7. ex. 3. 4.* Nec enim ibi Augusti decreto opus fuisset in re certa, nec Valerius Maximus inter exempla rara & memorabilia referre potuisset, quae lege sancita quotidie occurrant. Nec hic obiici poterit, Legitimam olim cum quarta L. Falcidiae magis conuenisse; unde etiam olim forte eadem remedia ad utrasque quartas dari potuerint. Nam in hoc capite nulla mutationis videmus vestigia, neque ratio immutandi aliquid hac in re adfuit. His accedit, quod in Legitima et querela omnia non ita determinata fuerint, ut quidem in lege esse debuissent. Sic v. g. olim non constitit, quibus dari deberit querela *L. I. D. de inoff. test.* Videtur etiam Legitima a Falcidia prorsus separari in *L. VIII. §. 9. D. eod.* vid. Contius *Subseciu. Lect. Lib. I. cap. 3.* Ex his omnibus itaque colligere poterimus, Legitimam ex ipsis legis Falcidiae verbis minus tuto deriuari.

§. V.

An itaque potius Senatusconsultis aut constitutionibus Principum vel moribus Legitima debeat, inuestigandum. Et quidem SCtis aut constitutionibus Principum saepe eadem res tribuitur; quia Principes orationibus ut plurimum res ad senatum referebant, quas dein SCtum sequebatur, hac tamen differentia, quod primis temporibus plurima SCtorum fiat mentio; medio tempore et ad SCta et ad constitutiones Principum prouocetur; circa tempora vero Septimii Seueri SCta sensim euanescant. Attamen nec SCta Tiberio Caesare antiquiora sunt; sed is primus auctore

ctore Tacito *Annal. lib. I. cap. 15.* comitia e campo trans-
tulit ad patres. Non itaque videtur per SCTum Legitima
introduc̄ta: quoniam talis SCTi nulla exstat mentio. Pau-
cae enim leges vel SCTa post Tiberii tempora sancita, et-
si dein non vsu obsoleta fuerint, perire. Neque omnino
adeſt Senatusconsultum quartae mentionem faciens praeter
Pegafianum, sed hoc nouimus ad fideicommissa sola perti-
nere. Idem, quod de SCTis, poterit etiam dici de Prin-
cipum praesertim recentiorum constitutionibus. Has enim
certe ICTos velut fontes Legitimae allegare oportuisset. Ne-
que ex Nicephori Callisti *Hystor. Eccles. lib. III. cap. 31.*
aliud colligere et Legitimam Marco Imperatori tribuere de-
buisseſt G. Pancirollus in *Tthesauro Var. Lect. lib. I. cap. 39.*
Est enim vel Nicephorus cit. l. ipse errore lapsus vel a
librariis corruptus. Nam sermo ibi est de SCTo Orphi-
tiano, quo D. Marci temporibus lato liberi in bona ma-
tris succedunt. Ad hoc D. Marcus extendit Legitimam,
atque hoc voluit Nicephorus, dum d. l. ita ait, *Marcus
autem filius eius iustam legem tulit, qua patri liberi ab in-
testato succedunt. Idemque sanxit, vt filio, qui in testamen-
to praeteritus, a parentibus debitam gratiam non retulisset,
quadrans paternae hereditatis detur.* Nam ibi vocibus *patri*
et *paternae* substituendas esse eas *matri* et *maternae* satis
liquet. Quae omnia post Cuiacium latius notauit Cel. van
de Water *d. l. Obs. lib. I. cap. 11.* vnde quoque Nicephori
locum descripsimus; neque enim Graecus textus ad manus
erat. Diſtis accedit, quod Plinius *Lib. V. ep. 1.* Legitimam
iam sub Traiano notam fuisse doceat. Praeterea ne Legiti-

nam Legi vel SCro vel constitutionibus Principum tribuamus; etiam id in causa est, quod ad Legitimam petendam querela inofficiosi detur *L. VIII. §. 11. 14. D. L. VIII. C. de inoff. test.* Ea autem actio raro his iuris partibus concessa inuenietur. Videamus ergo, an potius a moribus v. c. iudiciis Centumuiralibus Legitimae origines repetendae sint. Et profecto potuit fieri, ut in vna vel altera specie, vbi nimis parua portio liberis relicta erat, Centumuiui aequitate moti talem vltimam voluntatem ratam non seruauerint. Attamen eius rei exempla non allegantur; & quominus ipsam Legitimae quantitatem Centumuiris tribuamus, non minima impediunt. Raro enim certa atque determinata, velut Legitima, moribus ac Centumuiris praefertim posterioribus temporibus debentur. Praeterea Centumuirorum potestatem excedere videtur, talem quartam sine lege vel eius interpretatione introducere; ad quam in legis et fideicommissis dandam lege Falcidia et SCro Pegasiano opus fuit; ut hic recte uti possimus argumento Cl. van de Water saepius citato *cap. 11.* Legum vero interpretationes vltimum Praetoribus vel ICTis non vero Centumuiris debentur.

§. VI.

Videtur itaque certum, Legitimam legis alicuius interpretationi tribuendam esse. Cum itaque Legitima et quarta legis Falcidiae in plurimis conueniant; huius legis interpretationi potissimum Legitima debebitur, vid. §. 3. Verosimile itaque est quam maxime, Legitimam ad imitationem

tionem legis Falcidiae effectam fuisse: vti eodem modo SCtum Pegasianum *προς τὴν τοῦ φαλκιδίου μίμνησιν* introductum esse ait Iustinianus in *Praef. III. ad Senat. de confirm. Digest.* Neque hic nobis obiici poterit, quod, si ad L. Falcidiam in fideicommissis imitandam SCto Pegasiano opus fuit, eo minus Praetores vel Prudentes potuerint eam legem sine alia autoritate ad Legitimam extendere, quod argumentum est saepius allegati van de Water. Difficilius enim ad fideicommissa quam ad Legitimam Falcidia extendi poterat. Obstabat enim illic SCtum Trebellianum, quod in fideicommissis totius rei restitutionem faciendam fanciverat. Ad hoc restringendum alio SCto opus erat, quia Treb. in hac specie Falcidiam extendi impediabat. At filium hic nulla specialis lex beneficio Falcidiae vti prohibebat, adeoque ad eum facilius huius plebisciti termini proferri poterant. Satis itaque constat, quod ad Falcidiae imitationem interpretatione aut Praetoris aut ICTorum Legitima orta fuerit. Virique enim solebant leges interpretando extendere, mentem earum potius quam literam sequentes. Inquirendum itaque cui eorum potius debeat. Inter Praetorum et Prudentum interpretationes maxime hanc observamus differentiam: quod Praetores nudam allegent, quam sequuntur, aequitatem; ICTi vero leges quidem etiamli maxime iniquas cum Cassio illo apud Tacitum *Annal. lib. XIV. cap. 42-45.* seruent; sed rationem aliquam subtilem, cuius ope sententiam suam aequitati magis convenientem ex lege ipsa deriuent, praetexant. Atque hinc ICTi semper civilibus vtuntur remediis: Praetores vero ex

suis edictis honorarias concedunt actiones. Si itaque Prae-
 tor Legitimam inuenisset sola aequitate motus: tum id vt
 singulare et a stricti iuris regulis alienum notassent Iurecon-
 sulti; qui etiam alias admodum diligentes in conferuandis
 Praetorum Edictis fuere, etsi saepissime nihil noui contine-
 rent. Ideoque, cum hic nulla Edicti Praetorii fiat mentio,
 Praetoribus Legitimam tribuere non poterimus. Praeser-
 tim cum Legitima carenti ciuile detur querelae remedium,
 non vero Praetoria bonorum possessio ex causa inofficiosi,
 cuius in textibus de Legitima agentibus ne mentionem qui-
 dem inuenimus.

§. VII.

Atque sic quidem non alii rei quam Prudentum inter-
 pretationi ad L. Falcidiam Legitimae origines deberi appa-
 ret. Restat, vt quomodo iidem L. Falcidiam eo vsque
 extendere potuerint, ac qua ratione hoc factum sit, paulo
 accuratius examinemus. Vbi primo loco aequitas huius
 rei, in qua et Iureconsulti semper suorum placitorum fun-
 damenta iaciunt, vid. Cicero in *Topic. cap. XVII.* ICTis praec-
 cipue *bonam fidem* atque huic iunctum *aequum et bonum*
 tribuens, explicanda occurrit. Notandum itaque, quod li-
 beris ac necessariis nimis paruam bonorum partem relin-
 quere, reuera idem sit, ac eos exheredare. Etsi autem,
 quod §. 2. euicimus, liberi in opes parentum et vice versa
 ius quaesitum haud habeant: non minimum tamen pruden-
 tis legislatoris officium est, prospicere, ne ob nimis leues cau-
 sas parentes liberos ac hi illos bonis suis excludant. Id
 enim

enim vel ideo maxime iniquum foret: tum quod parentes liberis si non efficaciter saltem aliquo modo ad bona relinquenda obligati sint; tum quod ipsi parentes saepe minime ad haec extrema progressuri fuissent, nisi improbis nouercarum instigationibus ad iram prouocati essent. Etsi enim minime soleat pater sanus *ad primam offensam exheredare filium, nec accedere ad decretorium hunc stylum, nisi multae et magnae iniuriae patientiam eius euicerint* eleganter monente Seneca *de Clement. lib. I. cap. 14.* attamen cum vitricorum et nouercarum tantum plerumque sit in liberos prioris thori odium; vt solum nouercae nomen ad id exprimendum sufficiat Quintiliano *Declam. CCCXXXVIII.* et Hieron. *ad Furiam lib. II. ep. 19.* testetur, *superinducere matrem filii non nutricium sed hostem, non parentem sed tyrannum*; immo iidem non tantum priuignum occidere fas putauerint secundum Iuuenalem *Sat. VI.* ac Quidium *Metamorph. lib. I. pr. Ipsae*

Lurida terribiles misceant aconita nouercae.

Sed etiam sine dubio matri persuaserint, vt filio apud Statium *Sylu. lib. I. eclog. 2.* - - -

nefanda.

Pocula, letibalesque manu componere succos.

Eualuerit. - - -

Quid mirum, si iidem parentes veros ad exheredandos immerentes liberos permouerint. Immo hic tantum valere; vt filia ab octogenario patre intra undecimum a ducta nouerca diem exheredata fuerit narrante Plinio *lib. VI. ep. 33.* cui addatur Quintil. *d. I.* ideoque recte omnino

HIV 3

vovio

νομοθέτης οὐχ ἅπασιν οὐδὲ πάντας ὑέας οὐδὲ δόσεις ἀν-
 ἐθέλωσιν ἀποκηρύττειν συγκαχώρηκεν, οὐδ' ἐπὶ πάσαις αἰ-
 τίας. Ἄλλ' ὡσπερ τοῖς πατέρας τὰ τιλικαῦτα ἐργίζεσ-
 θαι ἐφῆκεν: οὐ τῶ καὶ τῶν παίδων προνοήσεν, ὡς μὴ
 ἀδίκως αὐτὸ πάσχωσι. Καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἐλευθέραν ἐφη
 γίνεσθαι οὐδ' ἀκριτον τὴν τιμωρίαν: ἀλλ' εἰς δικαστήριον
 ἐκάλεσε, καὶ δοκιμαστάς ἐκάθιστε, τοὺς μῆτε πρὸς ἐργὴν
 μῆτε διαβολὴν τὸ δίκαιον κρηνοῦντας. apud Lucianum in
Abdicato. p. m. 713. Praesertim quia etiam rei publicae in-
 tererat, familiarum statum illacsum conseruari. Quam
 aequitatem quoque ICros praecipue secutos fuisse ex neruo-
 fis illis textibus sc. *L. XV. pr. D. de inoff. test. L. VII. §. 1.*
D. si tab. testam. et *L. VII. D. de bon. damn.* satis appa-
 ret, etsi haec praesertim plus dicat, quam intendit. Prae-
 terea aequitatem hanc agnoscit Paulus in *Ep. ad Corinth. 2.*
cap. XII. §. 14. dicens ὅτι ὀφείλει τοὺς γονέας τοῖς τέκνοις
 ἴσπανρίζειν.

Pleraque haec, quae de liberis dicta, simili fere modo
 de parentibus affirmari possunt, si liberi forte turbato mor-
 talitatis ordine ante parentes decedant. Neque in fratribus
 aequitatis regulae aliud suadent, quia etiam hi arctiori vin-
 culo sibi inuicem deuincti sunt, quam ut extraneus iis prae-
 ferri possit. Ultra fratres tamen haec extendi, prudentif-
 sime ICti prohibuere; tam quia causae adesse poterant, ob
 quas quis extraneis potius bona relinqueret; quam ne plu-
 res et leuiore exheredationum causae hic permittendae li-
 tibus materiam praeberent.

§. VIII.

§. VIII.

Nunc quidem de colore a ICtis Legitimae praetexto dicendum esset: nisi pauca de occasione ac necessitate eiusdem praefari opus videretur. Scilicet occasionem eadem res sine dubio Legitimae dedit, quae in caeteris docuit coarctari verba L. XII. Tab. *Paterf. uti Legassit* caet. nempe parentum nouercalibus delinimentis instigatorum odium in liberos iniustum et immoderatum, ac liberorum fratrumque luxuria, qui ex hac causa libertos aliosque heredipetas ei suffragantes ac materiam eidem suppeditantes, de quibus Iuuenalis *Sat. X. V. 236.* ac alibi passim, sanguine iunctis praeferebant. Postquam enim ob dictas causas nec rite facta exhereditatio sufficere visa est; sed amplius iustas ob causas eam fieri debere placuit: mirandum non est, si impii parentes etiam his vinculis quouis modo se expedire conati fuerint; etsi illis hoc facere post tot obices non nisi admodum difficile esse potuerit. Non enim poterant amplius liberos praeterire, nisi testamenta sua nullarum virium esse vellent. Neque poterant eosdem sine iusta causa exheredare, nisi dispositiones suas periculo rescissionis subiicere non timerent. Debebant itaque eos, nisi aliud meruissent, heredes instituire. Quia vero, quanta ex parte instituendi essent, haud definitum erat: verosimile est, hic potissimum tales parentes liberos suos defraudasse; vbi id sine testamenti sui periculo facere poterant, sc. liberis institutis nihil fere relinquentes; cui similis olim ratio Falcidiae legis fanciendae fuit. Instituebant itaque liberos quidem heredes, sed nihilominus coheredibus in fraudem eorum adiunctis maximam bonorum partem relinquebant. Sic autem liberis ni-

C

hil

hil commodi praestabat inane fere heredis nomen; quippe qui hereditate ipsa re vera excluderentur. Neque enim vlllo modo iis vsque adhuc subueniri poterat. L. Falcidiae remedium iis dari nequibat, quia haec quarta coheredibus salua erat. Querela vero inofficiosi exheredatis non instituta dabatur. Atque sic simul apparet, in hac vnica specie liberis subueniri non potuisse. Alias enim sui heredes praeteriti testamentum patris nullum faciebant; exheredati, si iniuste, querela inofficiosi adiuuabantur, si iuste, merito suo bonis parentum excluderentur; instituti ex asse ad suppleendam quartam agebant. Solis ex parte institutis prospectum non erat. Ideoque, vt nullis amplius fraudibus locus esset, aut praecipendum erat, ne alii ac liberi heredes instituerentur, vt sic liberis Falcidiae legis portio semper salua esset; aut certa illis pars necessario relinquenda assignari debebat. Sed priori modo testandi libertas L. XII. Tab. prorsus illimitata nimis restringebatur: quia sic non alios ac legitimos heredes instituere liceret, sola legandi potestate testatoribus concessa. Necessè itaque erat Legitimam liberorum portionem determinare, si iis aliquo modo consultum vellent.

§. IX.

Vidimus iam aequitati maxime conuenire, ne liberi ab hereditate parentum ac vice versa, immo et fratres prorsus excludantur. Apparet praeterea, hoc impediri non posse, nisi certa Legitima determinetur. Atque ideo Icti eam ad imitationem Legis Falcidiae definiuere. Explicandum itaque iam est, quo colore id facere potuerint: vbi primo loco hanc rem, quod ad liberos attinget, considerabimus. Notandum
ita.

itaque, quod in iis iuris capitibus, in quibus Legitimae fit mentio, nulla huius determinationis praetendatur ratio *L. VIII. §. 3. 9. D. de inoff. test.* immo ubique eodem fere modo Legitima carentes ac exheredati vel praeteriti confiderentur *d. L. VIII. §. 6. L. XIII. D. eod.* Ex quibus licet colligere, non aliam hic ICTos praetendisse rationem, quam qua alias in exheredationis materia uti soliti fuerant: et quam idcirco latius in hac materia repetere non necessarium duxere. Atque ideo Digestorum compilatores eam hoc loco prorsus omiserunt. Res ipsa autem sic se habere videntur. Censuerant nempe ICTi, parentes ideo liberos immerentes exheredare non oportere, quia his natura ipsa et votum parentum illorum hereditates addixerat, seu quia liberi per excellentiam ac fere naturae ipsius vi parentum heredes videbantur. Atque hinc non sine ratione dementes videri poterant ii, qui instigationes nouercales naturae ipsi ac communi parentum voto praetulerant, qui communis color querelae inofficiosa ex *L. II. D. de inoff. test.* Eodem fere modo eos in Legitima processisse verosimile est. Non minus nempe iniquum videbatur, hos per excellentiam heredes etiam si institutos bonis paternis re ipsa priuari, quam verbis expressis iniuste exheredari. Cum itaque necessario certa ipsorum portio definienda esset: haec facillimo negotio ad imitationem Legis Falcidia determinari poterat. Tribuerat scilicet d. Lex heredibus institutis quartam hereditatis. Quoniam vero liberi per excellentiam et natura ipsa heredes facile prae caeteris simul institutis eminebant: hinc etiam ipsis solis sine vlllo impedimento quarta hereditatis paternae tribui poterat; quia talibus heredibus illud beneficium denegari non poterat,

quod ex Lege Falcidia omnium heredum commune erat. Praesertim quia liberi adeo prae reliquis heredibus eminent, ut, licet coheredibus adiunctis, soli tamen et ex asse instituti videri possint. Quod confirmari videtur *L. VIII. §. 9. D. de inoff. test.* vbi Ulpianus ait; *nam si, cum quis ex asse heres institutus est, non potest dicere inofficiosum, quia habet Falcidiam: Falcidia autem libertates non minuit; potest dici, deductis libertatibus quartam sc. Legitimae ineundam.* Vbi Ictus hoc videtur dicere; quia ex asse institutus habet Falcidiam, etiam filios ex parte institutos eandem habere debere, quia etiam hi commode ex asse heredes fingi possunt. Si enim hoc Ulpianus non veller; nullo modo ab ex asse instituto ad filium argumentari posset. Hinc ergo apparet, Ictos hic eandem rationem quam alias in querela inofficiosi praetexuisse, atque inde eodem quoque colore uti potuisse; quod in §. seq. paulo latius ostendemus.

§. X.

Scilicet ostendimus eandem ob rationem liberis Legis Falcidiae portionem concedi potuisse, ob quam exheredatio eorum iniusta improbari poterat. Superest, ut confideremus, qua ratione liberis remedium iuris dari potuerit, quo haec concessio effectum fortiretur. Neque hic magna videtur fuisse inter exheredatos et Legitima carentes differentia. Videlicet ipsae quidem ordinariae ex Lege Falcidia actiones liberis dari non poterant, quia nulla ratione legis ipsius sensus huc detorqueri quibat. Sed alia tamen ratione iis subueniri poterat. Si enim pater filio hanc portionem integram non reliquisset: fere idem erat, ac si eum heredem non instituisset; quoniam ei portionem omnibus heredibus atque ideo praec-

praefertim liberis dandam denegauerat. Hinc vero colligebatur, eundem colorem dementiae etiam hic praetendi potuisse: quia omnino videri poterat, neque eum sanae mentis fuisse; qui, cum liberos verbis, vt debuerat, instituisset, attamen iis tam paruam bonorum suorum partem reliquerat, vt effectum heredes non essent. Quoniam itaque etiam liberis Legitima carentibus hic color praetexti poterat: nihil magis erat conueniens, quam vt etiam in hac specie querela inofficiosi testamenta parentum rescinderentur; quia maxime verum erat, eum contra officia pietatis testatum fuisse, qui dolis ac fraudibus liberos bonis suis emungere conatus erat. Hanc autem querelam omnibus Legitima destitutis dari, etiam si heredes instituti sint, apparet ex *L. VIII. §. 11. 14. D. item L. VIII. C. de inoff. test.* quarum illa filio ultra modum fidelicommissis grauato, haec vero ei, cui alter filius ita praelatus erat, vt non haberet Legitimam, querelam concedit.

§. XI.

Postquam sic vidimus, querelam inofficiosi omnibus iis dari, qui Legitimam hanc portionem ex bonis paternis non accepere. Inuestigandum porro erit, quaenam in querela ipsa post determinatam Legitimam sint immutata. Atque primo quidem §. praec. ex *L. VIII. §. 11. 14. D. VIII. C. de inoff. test.* ostendimus; querelam inofficiosi etiam institutis dari, qui minus ex bonis parentum accepere; cum olim tantum exheredatis et praeteritis dari posset. Quas formulas etiam postea retinere iuris interpretes, vid. *pr. I. L. III. D. eod.* et satis commode retinere potuerunt; licet ex eo tempore nonnullis quoque institutis querela daretur. Hi enim exheredatis vel praeteritis maxime similes erant: quia parentes eum velut

C 3

here-

heredem agnouisse non videntur; cui hanc portionem non reliquere, quae illi vt heredi debebatur. Attamen quoniam querela inofficiosi odiosa est, ac non datur ei, qui alio remedio vti potest: hinc apparet, quod is, quamuis Legitima careat, queri non possit, qui ex asse est institutus; quia hic habet Falcidiam secundum *L. VIII. §. 9. D. de inoff. test.* Ex quo capite omnino explicandus est locus Plinii *Lib. V. ep. 1.* quem supra §. 3. allegauimus. Nam alias videri posset, ibi etiam ei tribui querelam: apud quem ex asse institutum minus quam quarta remanet. Cum tamen reuera etiam ex mente Plinii, si recte eam intelligamus, ei tantum detur querela; qui ex parte institutus quartam hanc non habebat.

§. XII.

Secundo hoc loco notari poterat, quod, cum initio querela inofficiosi omnibus exheredatis et praeteritis, vel, vt vno verbo dicamus, non institutis daretur; post Legitimam determinatam accurate desideratum non fuerit, liberos institui: sed sufficiat ad excludendam querelam, si iis quocunque modo haec portio relinquatur. Quod ad prius attinet, sc. olim omnibus non institutis querelam non denegatam fuisse, licet alias plurima ex testamento parentis acceperint: id quidem aliter fere se habere non poterat. Exheredatis enim et praeteritis concessa erat querela. His vero ea ideo denegari non poterat, quod nonnulla eis ex eadem hereditate legatis forte vel alio modo relicta fuerint: quia primo nulla Legitima portione definita negari non poterat, vere exheredatum eum esse, etsi maiorem hereditatis partem legatis accepisset; dein prorsus nullus querelae effectus futurus fuisset, si etiam quocunque legato ea tolli potuisset. Quod vero ad posterius, solis lega-

tis



tis vel fideicommissis Legitimam ante Iustinianum relinqui
 potuisse, eo magis certum est: quod eam mortis causa donari
 sufficiat. Ita enim in *L. VIII. §. 6. D. de inoff. test.* Ulpianus
 ait, *si quis mortis causa filio donavit quartam partem eius, quod
 ad eum esset peruenturum, si intestatus paterfamilias decessisset,
 putio eum secure testari: cum tamen mortis causa donatio non
 morte, sicut alia hereditaria, vid. Cicero in Topic. cap. VI.*
 sed mortis causa ad donatarium perueniat. Atque haec tamen
 omnia semel definita Legitima secundum iuris regulas com-
 mode ita constitui poterant. Iam enim id solum quaerebatur,
 an quis Legitimam haberet. Hac haud destitutus, exhereda-
 tus vel praeteritus ideo dicendus non erat; quod forte insti-
 tutus non esset, immo ipsa exheredationis formula in testa-
 mento reperiretur; quia nihilominus effectu inspecto heres
 erat. Eam enim hereditatis partem habebat, qua ex asse he-
 res contentus esse deberet. Hoc loco autem non tam formu-
 la quam quidem effectus inspiciebatur. Haec in exheredato
 quoque veritati convenire ostendit *d. L. VIII. §. 6.* Haec
 enim de filio loquitur, qui necessario exheredandus erat. Eo
 facilius etiam exheredatio vel praeteritio relicta Legitima po-
 terat excusari: quia forte exheredatio benevolenti animo a pa-
 tre facta fuerat *L. XVIII. D. de lib. et post. L. XVI. §. 2. D.
 de curat. furios.* quod ipsum relicta Legitima maxime praesum-
 mebatur. Neque hic subtitere veteres: sed dicta etiam ad
 donata inter vivos extendere. De quo tamen non omnes
 consensisse videntur. Magis enim in hac specie dubius Ulpia-
 nus in *L. XXV. D. de inoff. test.* affirmat; *si non mortis causa
 fuerit donatum sed inter vivos, hac tamen contemplatione, ut in
 quartam habeatur, potest dici querelam cessare, si quartam in do-
 natione habet, aut si minus habeat, quod deest, boni viri arbi-
 tratu repleatur, aut certe conferri oportere id, quod donatum est.*
 Requiritur.

Requiritur enim animus testatoris aliquo saltim modo declaratus, ut constat, donata hic imputari debere. Nec sine ratione hic magis prouidi fuere. Satis enim insolens videri poterat, donatione id alicui tribui, quod ei ut heredi debebatur. Poterat tamen eo facilius placere, etiam sic Legitimam relinquere posse: quia alias in hac materia tantum effectum non titulum spectauere Iurisperiti; eo magis quod in donatione mortis causa nullum mouebatur dubium; quae tamen ipsa non morte sed tantum mortis causa ad donatarium perueniebat. Conf. etiam hic *Nou. CXV. cap. 3. pr.* Quo vero tempore haec omnia praec. et hac §. dicta forte placuerint; sequenti §. examinabimus; ubi de tempore, quo Legitima orta et formata est, latius erit dicendum.

§. XIII.

Videlicet iis, quae de ortu et forma Legitimae dici possent, breuiter expositis, restabat ad huc inuestigandum, quando haec omnia introducta sint. Quod fere hoc ordine factum videtur. Iam sub libera Republica tempore Pompeii exempla reperiuntur rescissorum per querelam testamentorum, quale narrat Valer. Max. *Lib. VII. cap. 7. ex. 2.* Nec in Ciceronis operibus prorsus nulla huius remedii fit mentio, vid. praeter alia loca in *Verr. I. cap. 42.* Fuit tamen stante Rep. extraordinaria et fere a Centumuiris dependens cognitio. Paulo post sub Triumuiris lata est Lex Falcidia. Atque cum iam querela paulo frequentior fieret, et hinc fraudibus elidi soleret, vid. §. 8. coepit sine dubio iam sub primis Imperatoribus ad quartam L. Falcidiae in querela attendi, approbantibus secundum §. 9. 10. ICris: ita ut saepe testamentum rescinderetur, in quo liberi non instituti; si quartam ex hereditate parentum non accepissent §. 11. Nihilominus extraordinarium et rarum initio adhuc fuit querelae remedium cum hac adiectitia qualitate, uti

vii ex Valer. Max. *Lib. VII. cap. 7. ex. 3. 4.* apparet collata
 §. 4. Attamen ex eo tempore magis magisque inualuit, vid.
 iterum Valer. Max. *Lib. VII. cap. 7. 8.* atque hinc sub primis
 XII. Imperatoribus paulatim in assiduam iurisdictionem est
 conuersa; eamque necessario formam accepit, quam in hac §.
 et hic allegatis quod ad praecipua exposuimus. Saltem omnia
 haec tempore Traiani obtinuisse ex saepius allegato loco Plinii
Lib. V. ep. 1. satis liquet. Putabat enim ibi exheredatus filius,
 sibi querelam, si iniuste exclusus esset, denegari non posse;
 atque id, ut ex eius epistolae circumstantiis apparet, conue-
 nienter iurisprudentiae illorum temporum. Iam enim id quo-
 que placuerat, ut biennio querelae praescriberetur. Placuerat
 praeterea, ad minimum quartam liberis saluam esse oportere.
 An vero hoc accurate titulo institutionis ex quarta ad
 minimum parte fieri debuerit; quod verba quidem Plinii
 suadere videntur, non ita pro certo affirmare licet: cum ad
 ius ibi non adeo respiciat Plinius, nec haec quaestio eo loco
 agitur. Caetera, quae §. praec. diximus, non videntur nisi
 postea placuisse. Cum enim haec necessario post definitam
 Legitimam in querela mutari debuerint; attamen introducta
 iam Legitima non mutata quoque obtinere potuerint (potuit
 enim Legitima etiam hanc habuisse conditionem, ut solis in-
 stitutis relinqueretur) non est verosimile haec statim, sed sen-
 sim potius mutata fuisse; cum initio alius hoc, alius aliud de
 hac materia censeret. Praesertim cum et Ulpianus in *L. XXV.
 D. de inoff. test.* de donatione adhuc dubitet. Attamen haec
 quoque tempore Antoninorum introducta videntur. Cum
 enim iis temporibus compositis per Herciscundos Proculeia-
 norum ac Sabiniānorum dissidiis plura in iure emendata fuis-
 sent: sine dubio etiam querela formam eam, quam ante Iusti-
 nianum habuit, accepit, quod recte notat Celeb. van de Water.

D

Hinc

Hinc huius tantum temporis Ictorum fragmenta in Digesta sunt relata. Atque inde reddi potest ratio, quare per Legitimam tam pauca in querela mutata in Digestis reperiantur. Ipsa enim Legitima tunc orta est, cum querela nondum ordinariae iurisdictionis esset facta, ac hinc in Ictorum libris fere non reperiretur; qui eam pene eodem tempore quo Legitimam agnouere. Quamvis vero dein etiam nonnulla ratione Legitimae mutata fuerint: haec omnia tamen iam tempore eorum Ictorum, quorum fragmenta in titulum *Dig. de inofficioso testamento* sunt relata, obtinuerant; adeoque nec eorum aliter mentio exstare poterat. Praesertim cum ea, quae hic post Legitimae originem mutata et §. praeced. recensita sunt, rarius in iudiciis multo minus inter ICTos disputata videantur. Hos enim, qui liberis non bene vellent, semper etiam id cavisse non est dubium, ne iis alio titulo alicuius momenti bona relinquerent.

§. XIV.

Atque sic quidem, quae de Legitima liberorum breuiter dici possunt, explicimus. Restat, vt de Legitima parentum ac fratrum adhuc pauca videamus. Vbi quidem in plerisque nulla adest differentia: vt de titulo tantum ac tempore earum diuersa quaedam notari possint. Et quod quidem ad priorem, apparet, vt querelam ita et Legitimam praecipue liberorum causa introductam fuisse, quod ipsum, si capita tituli de inofficioso testamento vnice fere de liberis loquentia inspicias, nulli dubio subiectum videtur. Attamen simul erat aequissimum, parentibus ac fratribus aliquam partem ex hereditate liberorum et fratrum concedi; illis quidem in solatium liberorum turbato mortalitatis ordine amissorum, his vero ob arctissimum sanguinis vinculum, vid. §. 8. Atque hinc iis etiam sub libera Rep. concessa est querela, vid. Valer. Max. *Lib. VII. cap.*

cap. 8. ex. 4. Hoc factio facilius Legitima ad eos extendi poterat. Etsi enim hi omnes se fere a natura ipsa heredes dicere non possint; immo contra naturam sit *ut ad heredes totis personis* *ἡνωσθησαν* secundum gentium Doctorem Paulum 2. ad Corinth. cap. XII. §. 14. et §. 2. supra: nihilominus tamen et parentes et fratres caeteris heredibus praeferrī optimo iure poterant. Vid. hic Celeb. P. Wasmuht Antecess. Ling. Diss. de Querel. Inoff. §. 16. 17. Vbi eruditissime ostenditur, quibus ex causis parentes ad querendum contra liberorum testamenta admitti fuerint: cum tamen praeter alias gentes Romanis praefertim contra naturam visum esset, liberis parentes succedere. Ponit tamen, ut diximus, neque parentibus neque fratribus Legitimae beneficium denegari: postquam per querelam inofficiosi praerogatiuam prae aliis heredibus consecuti essent. vid. §. 9.

Atque haec de titulo. De tempore notari meretur, incertum fere esse, quando parentibus et fratribus quarta L. Falcidiae indulgeri coeperit. Verosimile tamen est, hoc modo iurisperitos processisse: ut primo quidem tempore liberis, quorum causa primario testandi libertas certis cancellis inclusa erat, Legitima tantum daretur; paulo post vero cum et in aliis querentibus necessaria portionis Legitimae definitio esset, sine vlla difficultate ad hos etiam Lex Falcidia seu potius eius legis portio extensa est. Neque enim inter parentes ac fratres temporis differentia adfuisse videtur. Immo eodem tempore, quo Legitimam ultra liberos extendere, eandem omnibus aliis, qui queri poterant, concessere: quum eadem in omnibus esset ratio et Legitimae determinandae necessitas. Neque enim soli parentes ac fratres de testamentis contra officia pietatis factis questi sunt. Vindicarunt etiam hanc actionem non modo cognati remotiores, sed etiam amici praeteriti teste Valer.

D 2

Max.


Max. *Lib. VII. cap. 8. ex. 3. §.* qui *ex. 3.* dicit cognatos praeteritos testamentum non attentasse, quasi id alias facere poterint, et *ex. 5.* monet, amicorum erga amicos ingrata testamenta impunita fuisse, ac si alias puniri rescissione solerent. Atque hoc inofficiosi titulo etiam Principes ad rem nimis attenti vsi sunt, vt hereditates alienas ad se traherent. Vid. Sueton. *Tiber. cap. XLIX. Calig. cap. XXXVIII. Neron. cap. XXXII.* in quibus posterioribus locis testamenta haec erga Principem *ingrata* vocantur, quod solemne vocabulum in querela inofficiosi. Atque his omnibus simul cum querela Legitimae beneficium indulgeri debebat. Vt itaque nec querela nec Legitima nimium extenderetur §. 7. supra: iure ac merito placuit, vt querela nemini vltra parentes ac fratres concederetur, narrante Vlpiano in *L. I. D. de inoff. testam.* Quod ipsum tamen non diu ante Vlpianum videtur constitutum, vt ex ipsius verbis licet colligere.

Atque ita praecipua, quae de Legitimae originibus dici possent, breuiter recensimus. Nam ea, quae ab Imperatoribus, Christianorum sacris addictis, immo ab ipso Iustiniano hac in materia immutata sunt, iam alii clarius explicuere, quam vt eis nos aliquid addere possimus.

T A N T V M.

A N N E X A.

- I. Solutus Deus est Iuris Naturalis principium.
- II. Negotiorum gestor praestat culpam leuissimam.
- III. Exceptio non numeratae pecuniae post biennium prorsus extincta est.
- IV. Iuri pignoris luendi non praescribitur.
- V. Res vendita nondum tradita est periculo emtoris.
- VI. Tutor ob latam culpam damnatus non fit infamis.
- VII. Filiusfam. de peculio aduentitio irregulari non potest testari.
- VIII. Pater exhereditatis liberis potest pupillariter substituere.
- IX. Iura Imperii in Vrbe Romam adhuc salua sunt.
- X. Vsurae re vera Iure Canonum sunt licitae.




Duisburg, Diss., 1729/81(1)

ULB Halle


3

004 527 070





odier
derar
denbu
A. A
scrip
t alte
Titu
REV
V.
SIM
gest
m t
mo
m e
oni
no
pfi
V
vc
eru
tte
m
lo



DISSERTATIO IVRIDICA
INAUGVRALIS

8
1625

DE 1752.11
ORIGINIBVS
LEGITIMAE

AD IMITATIONEM LEG.
FALCIDIAE INTERPRETATIONE
PRVDENTVM INTRODVCTAE;

QVAM
SACROSANCTA ET IMMORTALI TRIADE
PRAESIDE,

AVCTORITATE AC DECRETO
MAGNIFICI
CELEBERRIMI AC AMPLISSIMI
ICTORVM ORDINIS,


IN INCLYTA QVAE TEVTOBVRGI CLIVORVM FLORET
ACADEMIA REGIA,

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS, PRIVILEGIIS,
AC IMMVNITATIBVS CONSEQVENDIS,

PVBlicAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVBMITTIT

FRIDERICVS GOTHOFREDVS I. A. F.
SCHLEGTENDAL LINGENSIS.

AD DIEM V. IVLII MDCCLII. HORA LOCOQVE SOLITIS.



TEVTOBVRGI
TYPIS IOH. SEBAST. STRAVBII, ACAD. TYPOGR.

